



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XLVI. Quis arguat Christum de peccato? & curverum dicenti non credatur? Dominica Passionis. Quis ex vobis arguet mede peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Joan. 8. v. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



# PROBLEMA XLVI.

Quis arguat Christum de peccato? & cur verum dicenti non credatur?

## DOMINICA PASSI- ONIS.

*Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

Joan. 8. v. 46.

S. 1.  
Cur lapidare Christum velint Judæi.



Quando acrem Incarnata Sapiencia disputationem habuit, hodie habuit, cujus problema duplex ipsa posuit non facile ab adversariis solvendum: *quis ex vobis, etsi sit Argus, arguet me de peccato?* ecce problema primum. *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* ecce alterum, insolubile utrumque, etsi omnem lapidem moveant, ut solutionem inveniunt & præsentent. *Sustinere ista Aternitatis verba (sive problemata) non valentes, ad lapides currunt: Et quem intelligere non poterant, obruere querant,* S. Gregorius homil. 18. *Tanta duritia quò curreret nisi ad similes, scilicet lapides?* S. Augustinus tract. 43. in Joan. At frustrà responsum & solutio problematis petitur à lapidibus, pro Christo enim, non contra Christum lapides loquentur cum homines tacebunt, & calculo candido non purpureo Christi innocentiam approbabit, duritiem verò malevolorum testabitur. Cum itaque è calculo laborent duras scribarum corda & ora ut respon-

dendo non sint, respondebo quantà potero brevitate ac modestià ad utrumque Divini Magistri problema, & quis peccati eum arguat? cur veritatem dicenti non credant? indicabo.

Quis ergo Christum arguet de peccato? edicite Principes, Magistrates, Præsides, Politici omnes, num in politice unquam deliquit? sub imperio Cæsaris natus, cum describeretur orbis terrarum, conscribi & ipse in Cæsaris obsequium voluit qui ministrare venit non ministrari. num vestigal unquam Cæsari negavit? sitaceant homines, loquentur muti pisces, & redditum integre vestigal fuisse testabuntur. Tributum Cæsari dandum docuit, & Cæsari prius quàm DEO reddendum monuit: *reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, Et quæ sunt DEI, DEO,* nè quis putaret ex retenta, quæ Cæsari reddenda fuerat pecunia, licere eleemosynam facere, & obsequium Deo præstare. At Regem se fecit; imò ne fierent, fugit. testor turbas, testor montem in quem *fugit ipse solus,* testor regnum univèrsum, quod solis ambiit pedibus, atque à terra-

S. 2.  
Inducitur omnes stantes, ostendentes à quibus Christus arguitur de peccato.

rum ad cælorum regnum perveniendi viam demonstravit. Coronam quidem affectavit, sed spineam, quam ei nemo invidit. Mansuefecit gentes, ut promptius legibus, & Regibus subderentur, & subesse mallent, quàm præesse. Et quamvis pauperem privatamque elegerit vitam, de regali tamen sanguine nasci voluit, ut ejusdem cum regibus genii, & amicitiae vinculo iisdem obstrictus esset. Nihil ergò in Cæsarem politicè peccavit.

Quid vos Sacerdotes, Scribæ, Pharisei, Pontifices, cujusnam reus est peccati? num reverendissimo statui vestro negavit reverentiam, & obsequium? leprosos appello, quos quoties mundavit, ad vos remisit, ut neque honori, neque peculio vestro quidquam decederet; turbas universas contestor, quas examuffim obedire Scribis & Phariseis iussit, ac sequi eorum verba, si opera non possent: *super Cathedralam Moysis sederunt Scribæ & Pharisei, omnia quæ dixerint vobis facite.* Nec Sacerdotes duntaxat sed eorum quòque fervos honorat, & auriculam læsam integrat, ut non tantum sacerdotes bene, sed eorum quòque servitia audiant non malè. At *Sabbata non observat*; imò ut accuratius observentur, curat, dum variis è morbis laborantes persanat, ut quietem in Sabbato inveniant. At *filius DEI se fecit*; quomodo filium DEI facere se potuit, qui nec fieri sed gigni duntaxat potuit? *genitus non factus, consubstantialis Patri per quem omnia facta sunt.*

Quid vobis turbæ & populi ac Pharisei videtur de Christo? state verbis vestris & cum vox vestra vox DEI sit, date gloriam DEO & dicite, num offendere in verbo unquam auditus sit? *nunquam sic locutus est homo, scimus quia verax es.* Num in opere deliquit? *omnia bene fecit.*

num respectu personarum laboravit? *non est tibi cura de aliquo, neque enim respicis personam hominum, omnes ergò pariter diligit, & omnibus omnia fieri gaudet.*

Veniamus ad ætates singulas & sexum utrumque, quis ex vobis Christum arguet de peccato? Tacebo sequiorem sexum quem vel publicis sceleribus infamem ad pedes suos admisit, vel inflagranti scelere deprehensum non condemnavit, vel haustum petere à cœnosa manu non dedignatus est, scio sequius nihil ab hoc sexu in Jesum proferri, quin vocem potius extolli, & prædicari uterum beatum à quo portatus, & ubera quibus lactatus est. Adeste parvuli ex quorum ore DEUS laudem suam perficit, num peccavit in vos Christus? imò tam tenerè dilexit, ut manus imposuerit, quasi non manibus tantum gestare, sed manibus suis coronare vestram innocentiam gestiret. Parvulos adduci iussit: *finite parvulos venire ad me.* parvulos contemni prohibuit: *videte ne contemnatis unum ex his pusillis* Matth. 18. v. 10. parvulos in sanctitatis ectypon proposuit: *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth. 18. v. 13. Quid Adolescentes? ex utroque sexu unum adventum revocavit, duodenam Jairi filiam & filium unicum viduæ in Naim. atque in his duobus abunde demonstravit, quam vitæ salutisque curam erga universos gereret. à funere parentis adolescentem quendam retraxit atque ut mortui sepelirent mortuos suos monuit, quo funestum ab hoc adolescente averteret periculum, quod ex funere parentis, si præsens adesset, imminere prænovit. Nihil ergo peccavit in adolescentiam. Habentne senes quod obmurmurent? curam eorum adolescentioribus

imposuit; neve sub falsæ pietatis prætextu munera templo dicarent, quæ sustentationi parentum subduxissent, gravissimis verbis inhibuit. quem unquam parvi pendit? quem injuriâ, damno, tædio affecit? quem honore, favore, amore non prævenit? nullius ergo vel ab argutissimis senibus argui potest peccati.

Arguitur tamen ab ipsis Pharisæis: *nos scimus quia hic homo peccator est.* Joan. 9. v. 24. quâ scientiâ o scioli? non acquisitâ & experimentalis, inquisivistis enim verò pessimæ fidei quæsitores in mores & doctrinam illius, at quo profectu? *quærebant falsum testimonium contra Jesum, & non invenerunt* Matth. 28. v. 59. *& tamen scimus quia peccator est.* Infusæne Scientiâ? à quo infusa? non à Patre qui iterato declaravit testimonio hunc esse filium dilectum in quo sibi benè complacuit. num forte à dæmone? at contrarium scit & profitetur dæmon: *scio quod sis Sanctus DEI*, ecce scientiam, ecce testimonium inimici, in confusionem vestram Scribæ invidi, Sacerdotes scelesti, qui peccatorem appellare præsumitis, quem sanctum diabolus agnoscit. Usque ad eò diabolicam malitiam humana longè superat nequitia, & quæ loqui non audet dæmon, liberè effutit homo.

S. 3.  
Elegans  
Psaltis te-  
stimonium

*Scimus quia hic homo peccator est.* itâne peccator, qui tollit peccatum mundi? itâne peccator, qui salvum facit populum à peccatis eorum? itâne peccator qui peccatum non fecit nec dolus inventus est in ore ejus? itâne peccator qui Sanctus DEI, Filius dilectus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus? *Solus JESUS* inquit S. Thomas ex Chryostomo, hic ex Origine, *solus JESUS hoc fiducialiter dicere potuit: quis ex vobis arguet me de*

*peccato! ipse etenim solus peccare non potuit*, qui in sole posuit tabernaculum suum, ut sine macula omnium virtutum radiis, loquor cum Euthymio, coruscaret. *Quæretur peccatum illius & non invenietur;* Pl. 10.  
v. 15. quæretur in Materno utero, utrum ex legitimo thoro conceptus sit, & non invenietur; quæretur peccatum illius in Ægypto, utrum in vitam gentium abierit, & non invenietur; quæretur peccatum illius in Synagogis in cathedris & exedris, in deserto & silvis, in castellis, vicis, plateis, in publicanorum conviviis, in hortis & locis campestribus, in montibus & collibus, in porticibus & Gazophylaciis, in caulis & turguriis, in aulis & prætoriis, & non invenietur; quæretur peccatum illius in corpore toto, in penetralibus pectoris, in clavorum fixuris, & non invenietur; quæretur peccatum illius in sepulchris, in corde terræ, in inferis & ipsis ad eò dæmonibus & non invenietur. O Sanctitatem! O innocentiam! O illibatam undique nostri JESU puritatem! O dignum tali Patre filium! dicebat quondam Pater: *popule meus quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi? Responde mihi.* Michææ 6. v. 2. *quid est quod ultra debui facere vineæ meæ & non feci?* Isai. 5. v. 3. *hæc dicit Dominus: quid invenerunt in me Patres vestri iniquitatis, quia elongaverunt à me?* Jerem. 2. v. 4. idem hodie repetit filius: *quis ex vobis arguet me de peccato?* disquirite vitam meam (interpretatio est D. Cyrilli. l. 6. c. 7. in Joan.) verba & opera mea discute. nihil omnino quod jure redarguere possitis occurret. Calumniari quidem facile, colorem calumniis inducere impossibile. Quæ culpa mannae quod versum sit in nauseam etsi deferviret, ut loquitur Salomon Sap. 16. v. 2. *uniuscujusque voluntati, &*

ad quod quisque volebat, converteretur? quæ culpa solis quòd exosus sit lippis, & tenebrionibus, qui lucis suæ radios æqualiter in omnes ejaculatur? quæ culpa cæli quòd sagittis à Philippi exercitu impetatur, cum vitali suo influxu cuncta vegetet? frustra in cælo iniquitas, in sole macula, in manna amaritudo, in JESU peccatum quæritur. Bellissimè Origenes tr. 35. in Joan. super illud: quærebant falsum testimonium: falsa testimonia tunc locum habent, quando cum colore aliquo proferuntur, sed nec color inveniebatur, qui posset contra JESUM adjuvare mendacia, quamvis essent in gratiam Principum prolata. quod maximam laudem exhibet JESU, qui sic omnia irreprehensibiliter dixit, ut nullam verisimilitudinem invenirent in eo reprehensionis, & mali & multi astuti. Hæc Origenes.

Passus quidem est pro peccatis nostris sed absque suo peccato & culpa, id quod theologico conceptu Psaltes expressit, dum in persona Christi cecinit: *infixus sum in limo profundi & non est substantia, que non rapui, tunc exolvebam* Ps. 60. v. 2. & 3. in limo quidem Christus profundissimo nostrorum hæret peccatorum, pro quibus Patris Æterni iras tempestatésque sustinet, at non est in eo substantia, sive culpa quæ dicitur subjectum pœnarum, sicut apud Philosophos substantia est subjectum accidentium. accidentia sive pœnas Christus patitur, non autem culpam quæ est subjectum pœnarum. *Quæ non rapui, exolvebam* pro peccatis, (quæ sunt rapina divinæ gloriæ, & violenta creaturarum contra Creatoris mentem abusio, à me usurpata nunquam) tunc patiebar, tunc morte turpissimâ luebam, tunc inter latrones moriebar. Veritatem eandem hieroglyphico non absimili Jobus attigit

in eadem persona locutus: *violenta sagitta mea absque ullo peccato c. 34. v. 6.* passionem suam vocat *Sagittam*, quam Paterna justitia in innocentem filium est ejaculata; at sagitta hæc violenta est, quia Christus absque peccato est; Scopus sagittæ quam Pater ex arcu furoris sui emittit est peccatum, in hoc enim collimat & dirigit ictum; quia verò in Christo peccatum non fuit, idcirco violenta dicitur, quæ alioquin naturaliter ad debitum sibi locum tendit. *Violenta sagitta mea absque ullo peccato.* Sagittam violentæ patior mortis, sed quod mortis est stipendium, non patior peccatum. Clariùs ipsemet de se Christus Joan. 3. v. 14. *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* serpenti quidem se comparat sed æneo, de quo eleganter Cardinalis Hugo. *serpens aneus non est verè serpens, nec venenum habet, & ideo significat Christum, qui habuit similitudinem carnis peccatrici, non carnem peccatricem: habuit quidem veram carnem, sed non verè peccatrici similem uti dicitur ad Romanos c. 5. misit DEUS in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum: id est, per theriacam expulit venenum.* Hactenus Hugo. Bernardus verò similitudine longè illustrissimâ ita Christi innocentiam proponit admilites templi c. 10. *quid erubesceret Christus? qui ita lavit nos à peccatis, non quidem ut aqua diluens, & retinens sordes, sed veluti solis radius dissipans & retinens puritatem.*

Dicere proinde jure optimo habuit: *quis me arguet de peccato? quis nisi malignus & pessimo peior dæmone? Nuspian in Evangelii, omnibus invenio dæmonum ululum, nec legiones eorum integras, calumniam ullam jecisse in Christum, sed honorificè locutos fuisse*

Np 2

sem-

§. 4.  
Hieroglyphica innocentie Christi.

§. 5.  
Homo arguens Christum peccati peior dæmone.

Homil. 24.  
in imperf.

semper, ita ut fræno opus habuerint, & obmutescere iussi sint, nè laudes Christi propalarent. Cur ergò laudantibus diabolis calumniatur homines? *scimus quia hic homo peccator est nisi quia majori malitiâ præ dæmonibus præditi sunt, ut supra fusè problemate 32. differui.* Clarissima Chrysofomi est oratio: *homo malus peior est, quam ipse diabolus.* diabolus enim si videt iustum, non audent ad eum accedere. homo autem malus quemvis hominem sanctum non solum non timet, sed magis contemnit. Non præstat diabolus homini virtutem sed homo diabolo; arma diaboli est malus homo. Sicut homo sine armis non potest aliquid facere contra hostem; sic & diabolus etiam sine homine non valet quidquam contra sanctos. Hactenus ille. Quid? quòd plus frequenter peccet homo quam suggerat ei dæmon, & cum hic de peccato erubescit, ille de impudentia gloriatur. Affirmavit id S. Antonius de Padua dom. 1. post Trin. *frequenter homo plus peccat, quam diabolus suggerat, prævenit enim homo diabolum.* Unde Ezechielis 16. v. 27. dicitur: *dabo te in manus odientium Palestinorum, qui erubescunt in via tua scelerata.* Grandis pudor quòd diabolus erubescit de peccato hominis, quòd ei non suggerit, & homo non erubescit. Non erubuit impudens Pharisæorum turba Christum vocare potatorem & dæmoniacum, erubisset certè dæmon. Habemus jam propositi solutionem problematis: quis Christum arguat de peccato, videlicet non Pater, non cælum, non diabolus, non infernus, sed peior toto inferno malignus homo, omni destitutus conscientia, quæ alioquin solet esse frænum linguæ, ut præclare D. Paschasius dixit l. 3.

in Matth. *conscientia, criminis accusatrix, frænum est propria linguæ;* idcirco David obmutescere se fatetur etiam à bonis, Job verò derelicta sibi tantummodo labia ad arguendum malos affirmat, quia hic nullius argui potuit sceleris: *non peccavi.* ille verò sui sibi conscius adulterii ingemiscere cogitur: *peccavi!* Matthæus quòque Judam appellare furem non audent, quem Johannes liberè talem pronuntiavit: *fur erat & oculos habens* Joan. 12. v. 6. quia hic semper innocens, ille quondam publicanus. Conscientia accusatrix criminis frænum est linguæ. at hoc fræno effrontes effrenesque carent Judæi, quia peccatis licet ultra aures immerfi conscientia tamen sopita & sepulta nesciunt se esse peccatores, hoc solum sciunt: *quia hic homo peccator est.*

Habent perfidi hi Nebulones quam plurimos è Christianis sibi simillimos, qui Christum arguant peccati, atque ut phrasi utar Davidicâ, mala in Dominum declinent seu derivent: *declinaverunt in te mala.* Declinatistæ pessimi infimis inferorum subfellis digni. Hujusmodi farinae sunt qui præcepta domini servati impossibilia adstruunt, cum tamen teste dilecto Apostolo *mandata ejus gravia non sint & observata esse singula à piis conjugibus Zacharia & Elisabeth testetur Evangelista: erant incedentes in omnibus mandatis & justificationibus sine querela.* Præterea qui impudentissimè effutire audent DEUM peccati esse authorem, nec esse malum sive poenæ sive culpæ in civitate quod non fecerit dominus, cum tamen sine ipso factum sit *nihil* sive peccatum, interprete Augustino, quod informe nihilum est, nec DEUS esset si iniquitas in eo foret. *per-*

S. 6.  
Qui etiam  
num Christi  
arguant peccati.

mittit

mittit quidem peccatum quia naturæ author est & principe liberi arbitrii dote rationalem creaturam spoliare non vult, at verò ad peccatum non impellit quia Sanctus est, quia iustus est, quia Deus est. Sed frustra ego cum eiusmodi filiis Belial, & incarnatis archidæmonibus egero, qui irrationalem suam (cum pejores dæmonibus) non facile mutabunt contumaciam, neque credent verum dicenti.

§. 7.  
Qui veritati non credant.

Et cur veritati non creditur? si veritatem dico vobis quare non creditis mihi? quia filii hominum sunt: mendaces filii hominum Ps. 61. v. 10. imò quia filii diaboli sunt: vos ex Patre diabolo estis, ille in veritate non stetit, quia non est veritas in eo Joan. 8. v. 44. facilius dæmonem ad audiendam compuleris veritatem quam hominem. Si veritatem dico quare non creditis? quia ad extremum terminum malitiæ pervenistis, sicut enim teste Damasceno l. 4. parallel. c. 17. extrema improbitatis linea est mendacium, ita improbitatis terminus ac punctum est odium & persecutio veritatis. Ut enim hoc brevissimè dicam & problematis partem alteram conficiam, ideo veritatem dicenti non creditur, quia ad completæ terminum nequitiae deventum est. Semper hæc fuit eritque extremæ nota perverſitatis & reprobationis tessera, veritatem non credere, sed injuriam reputare; *veritas putatur injuria* S. Chrysologus Serm. 131.

Veritatem dicenti Moyſi Pharaon non credidit, idcirco in malitiæ profundo periit. non credidit Samueli Saul, idcirco reprobatus à Deo disperiit. Non credidit Prophetæ Addo Sacrilegus Jeroboam, idcirco sacrum inter & saxum hæſit,

& rupto aræ calculo damnatus perierit. non credidit veraci Michææ Achab perfidus, idcirco cruenta orco victima cecidit. non credidit Jeremiæ Sedecias, idcirco Babylo-nem raptatus, exoculatus, carceri æterno mancipatus interiit. Surdo Balthafari veritatem Daniel cecinit & portentosos in pariete characteres exposuit, idcirco eadem adhuc nocte rex impius ac impœnitens coronam, vitam, salutem, omnia perdidit. Sperare benè de tua Pilate salute cœperam, cum veritatis essentiam indagare te audii. quid est veritas? sed cum responſo non expectato, ad alia converti te video, perverſitatis & impietatis tuæ terminum deprehendo. Scribe quod scribis, nec ab eo quod scripsisti recede. Veritati mortem scripsisti & tibi ipsi veritatem mortis ac chirographum damnationis descripsisti. Desperatum & de tua est salute Herodes Rex, qui quàm diu Præconem veritatis libenter audiebas, tam sceleratus esse non poteras quin per Vocem ad Verbum vitæ & salutis aliquando pervenires; at cum Vocem clausisti in carcere, imò & spiritum interclusisti, omni salutis spe temetipsum exclusisti; Verbum quidem ad te venit sed sine Voce; Salvator, at sine salute; oraculum sed mutum, miraculum, sed tibi in derisum. Extrema improbitatis linea est veritatis odium, amor mendaciorum.

Sed jam & nos extremam ducamus lineam proque emblemate illibatam Servatoris nostri sanctitatem, quæ nullius argui potest peccati, in Colosso seu Pyramide delineemus, in qua videre sit symbola innocentiae Christi è sacris deprompta litteris: speculum cum lemma-te *sine macula*, columbam *sine felle*,

§. 8.  
Emblemata.

rosam paradisiacam quæ juxta S. Ambrosium est *sine spina*. Liliū inter spinas, *sine vulnere*, librum scriptum intus & foris *sine mendo*; Scirpum *sine nodo*; Pomum candidum & rubicundum *sine verme*; Solem in Auge: *tenebræ in eo non sunt*; lunam plenam *sine defectu*. Panes propositionis *sine fermento*; Serpentem Æneum *sine veneno*. Agnellum candidum *sine nœvo* & familia sexcenta; Pyramidi sol meridians immincat: *sine umbra*; sicut enim pyramis in meridie umbram non projicit cū directè eandem sol respicit, ita Humanitas Salvatoris nostri umbram peccati spargere nequirit, quam sol Divinitatis mero die & gratiarum plenâ luce semper respexit. Infrà

Argum fingo qui accensâ Diogenis lucernâ Christum in fabrili, in Synagoga, in montibus & ubique lustret, ac umbram peccati frustra indaget cum epigraphe: *queretur peccatum illius & non invenietur*. O si & in nobis non inveniatur iniquitas ad odium, nec conscientia arguat & exprobet peccatum, sed eandem emundet & absolvat, qui solus sine peccato tollit mundi peccatum!

